

Tornacensis episcopus nomine Radbodus¹ iniit consilium cum clero suo et disposuit consultans, quod ecclesiam sui iuris alicui non traderet nisi sub tali condicione, ut statim abbacia monachorum in eodem loco fieri inciperet, abbacia utique, non cella. Precebat enim iam tunc, ne propter sanctum Arnulphum quondam sancti Medardi monachum aliqua querela moveretur.

Hiis dictis siluit abbas parumper et resumens dixit ad dominum papam: Ecce, reverentissime pater, tali principio fundatus locus noster nec sancto Medardo competit nec a sancti Medardi abbatibus usque modo umquam repetitus fuit. Siquidem abbas iste Suessionicus nullam omnino iusticie fiduciam habuit, sed instigatus a duobus clericis nostris insidiatoribus hoc inconsulte presumpsit, qui dicebant ei: Quid tardatis? quid pavetis? abbas iste premortuus non contradicet vobis. Clamate tantum et recipietis totum. Non sunt vires, non sunt opes, quibus vobis resistatur. Viriliter agite, et videbitis corda illorum concuti forti pavore. Talibus incitamentis accensus dominus abbas Medardensis et nostrarum rerum vel virium penuriam sperans fore victoriam suam induit se armis mendacii² nec timuit fallere summum pontificem, dummodo tali lucraretur rem indebitam sibi et nomen sibi acquireret fecisse, quod antea nemo fecisset. Quod ut subtilius cernatis, testamentum episcopi Tornacensis ab initio decretum simul et ipsius Arnulphi imploro ut coram legi iubeatis. Lecta sunt duorum munimenta episcoporum Radbodi et Arnulphi.³ Quibus recitatis et diligenter consideratis dixit abbas ad papam: Ecce, domine, oculi vestri vident et aures vestre audiunt, sed et domini cardinales aperte percipiunt, quod scripta ista in presenti recitata sancto Medardo vel suis abbatibus omnino nichil attribuunt. Papa dixit: Vere nichil. Presentes ibi tunc episcopi cum Aymerico cancellario dixerunt: Ista munimenta valde prohibent, ut abbas sancti Medardi numquam amplius contra loquatur. Tunc abbas multum gavisus adoravit papam et conventum et postea dixit: Domini, de vobis post apostolos scriptum est: Nimis confortatus

¹) Radbod II., 1068—1098. ²) Vgl. Rom. 13, 12; Ephes. 6, 11.

³) Vgl. Van de PUTTE a. a. O. Cod. dipl. S. 85 f. n. II und S. 83 ff. n. I. Die Echtheit der letzteren Urkunde ist von J. YERNAUX in den Annales de la société d'émulation de Bruges, 63 (1913), 89—102, angefochten worden. Gegen seine Ausführungen ist im einzelnen vieles einzuwenden, jedenfalls erscheint seine Belastung Hariulfs mit dieser Fälschung nicht erwiesen.